



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. xlix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI. EPIS. VVORMAC.

& linteamina quæ tetigerunt stillâ tribus minister abluit vicibus, calice subterposito, & aqua ablutionis sumatur, & iuxta altare recondatur.

De illo qui euomit sacrificium, & à canibus consumitur. Cap. XLVIII.

Ex pœnitentiâ Theodo.

Qui euomuerit sacrificium & à canibus consumitur, annum vnum pœniteat: sin autē, quadraginta dies pœniteat. Si in die quando communicauerit sacrificium euomuerit, si ante mediam noctem, tres superpositiones faciat. Si post mediam noctem, duas. Si post Matutinas, vnam.

De eadem re. Caput XLIX.

Ex pœnitentiâ Romano.

Si verò sacrificium euomuerit, quadraginta dies pœniteat. Si infirmitatis causa, septem dies: Si in ignem proiicit, centum Psalmos cantet: si verò canes lambuerint talem vomitum, centum dies qui euomit, pœniteat.

De Eucharistia inueterata. Cap. L.

Ex cõcil. Aureliã. cap. 5.

Omne sacrificium sordida vetustate perditum, igne comburendum est, & cinis iuxta altare sepeliendus.

De illis qui non bene custodierint corpus & sanguinem domini. Caput LI.

Ex eodẽ cap. 6.

Qui non bene custodierit sacrificium, & mus, vel aliud quod aliud animal comederit illud, quadraginta dies pœniteat. Qui autem perdiderit illud in Ecclesia, aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit, XX. dies pœniteat. Perfundens aliquid super altare de calice quando offertur, VI. dies pœniteat, aut si abundantius, VII. dies pœniteat. Qui autem perfundit calicem dum solennitas Missæ celebratur, XL. dies pœniteat. Si verò celebrata Missa presbyter neglexerit accipere sacrificium, similiter XL. dies pœniteat, & qui acceperit sacrificium pollutus nocturno tempore, VII. dies. Diaconus obliuiscens oblationem offerre donec offeratur linteamen, quando recitantur nomina pausantium, similiter pœniteat. Qui negligentiam erga sacrificium fecerit, vt vermibus consumptum ad nihilum deuenierit, III. qua-